

prudentia, nec sagax medicina, nec subtilis Philosophia sibi propositos habere aut præstare potest. Sola Theologia studiosis suis præstat, primùm quidem ut ipsum cælestis sapientiæ lumine illustrati, verèque pietatis studio quasi innutriti, supra mundum sapiant, & meliores sanctiores que quotidie euadant, atq; ita veram illam *αρχαγγελιαν*, quam neq; Priamicæ calamitates, neq; mors abrumpere possint, apud Deum consequantur. Deinde verò, ut docendo alios, & viam ad cælestia ex verbo Dei fideliter monstrando, ciusdem illius atq; æternæ felicitatis autores plurimis existant, quo labore neq; salutarius quicquam humano generi præstari, neq; nobis gloriosius esse ad omnem æternitatem potest.

Video quidem fortasse, quid præterea hîc ex me audire aueant studiosi iuuenes, an ne de nulla vel Patrum, vel historiæ Ecclesiasticæ, vel commentariorum sacrorum lectione consulam. Sed cogitent tempus, quo in Academia Doctores præstantes audire conceditur, haud longum dari, doctrinam verò longam esse. Illis ergo frugaliter vtantur, dum licet. Cætera, quæ ad *περὶ θεολογίας* Theologiæ magis pertinere videntur, minori iacturâ, imò maiori suo fructu aggrediētur, vbi viuos magistros amplius audire non dabitur, sed ipsi docendi munus ad iuuentutem, vel ad populum sustinebunt. Si qui tamen iudicio sunt confirmatores, & aliquos etiam ex antiquitate frustus, quasi primitias in Academia decerpere gestiunt, me autore illi præcipuos quosdam libellos sibi deligent, quorum lectio tum ad præsentes controversias intelligendas, aliquid momen-
ti ha-